

Et si Luna fuerit ipsi iuncta, uel eum bene aspicerit, configurata ambobus temporibus, & recepta, & fortunata, crescens lumine & numero, indicat augmenta substantiae ex hereditatibus mortuorum, aut ex seminibus uel plantis, uel per riuos, & aquarum ductus, cum bona fama nobilium, matris & mulieris. At si talis aspectus fuerit in uno istorum temporum, & non in alio, haec omnia minora contingent.

Et quando hi planetae aspicerint Saturnum malo aspectu, & sit separatus cum illo aspectu, indicat infortunium secundum Saturni naturam magnum & graue.

Et quando Saturnus ceciderit ab ascidente, & fuerit in domo secunda aut octaua, si fuerit ibi receptus, aut aliquam habuerit dignitatem, habebit bonum ex hereditatibus mortuorum, aut ex loco incogitato. Et si infortunatus fuerit in his locis, & non habuerit ibi dignitatem, nec fuerit receptus, pigriciam significat & miseriam nati. Sed nota bene, quod si fortuna fuerit in sexta uel duodecima, indicat aegritudinem, carcerem, seruorum & animalium mortem, & superari ab inimicis suis.

Et quando Saturnus fuerit combustus, aut retrogradus, scilicet si sit in domo Iouis, uel in nocturna genitura, grauitatem ratione senij, & seniorum suę gentis febres ex humido prouenientes, melancholicasq; & substantiae damna significat. Et si cum his fuerit in signo peregrino, euenient ei itinera mala, aut causa hominum extraneorum. Et si fuerit in domo sui amici, erit infortunium illud causa suorum amicorum.

Et si Sol eum combusserit, non existente aliqua conuenientia inter ipsos significat fortem carcerationem diuturnam regisq; metum, aut longam ualetudinem, & malam in loco abscondito, & damna ex parte patris uel aui.

Et si in hoc statu fuerit alicui planetae iunctus, uel eius Dodecatemorio, damna bit res, quae fuerint de natura illius planetae, uel Dodecatemorij eius.

Et quando Saturnus fuerit sic in die cum dicta constellatione, significat quod tale damnum cito finietur, & haec mala quae significat, erunt secundum loci & signi naturam, in quibus fuerit.

Quando dominus anguli fuerit in angulo, & aliis planeta eum infortunauerit ex quadrato uel opposito, non recipiendo ipsum, significat fortem laborem, & malum illud erit manifestum, & tanto peius, si cum hoc fuerit occidentalis, intrando combustionem, quia tunc id malum erit ab omnibus partibus. Et si in hoc statu fuerit ipse angularis, uel in succedenti, erunt haec leuiora & minora &c. Et si in cadenti, id malum erit caelatum.

Et si cum hoc aspicerit eum aliquis planeta cadens ab angulo, detegetur hoc quod prius erat caelatum. Et si dominus anni applicuerit illi planetae, qui eum aspicit ab angulo, illemet homo retrahet bonum eius, & deteget malum & laborem suum.

Iupiter dominus anni.



JUPITER quando fuerit dominus anni in bono statu, in radice, & in revolutione, in domo uel exaltatione sua, aut domo sui amici orientalis, & saluus ab omni impedimento, indicat amorem & conuenientiam cum regibus & magnis viris, bonasq; cogitationes, & res nati bene procedent, eritq; suis aequalibus potentior, & præficietur in sua Ciuitate alicui officio, filiumq; & prosperitatem, diuitiasq; sine multo labore habebit. Et si fuerit in decima, erunt haec ex parte regum, & suorum magisteriorum. Et si in septima, erit ex parte mulieris uel coniugis. Et si in quarta per possessiones, uel per parentes suos. Et si in nona uel tertia, uidebit uera somnia, & utilitatem in itineribus & undecunq;. Si in undecima, bonum ab amicis. Si in quinta, lucra cōsequetur habebit filium bonum, & gaudia multis modis. Si in secunda uel octaua fuerit, natus lucra